



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et  
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

**Paullini, Christian Franz**

**Francofvrti ad Moenvm, 1698**

XXVIII. Erlolfus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44860**

tres annos inclusus est: *Hafelsteinium* etiam castrum, in sua Abbatia situm, obsedit, sed non sine damno. Deponitur AD. MCXIV. Prælatu-  
ræ V., quòd bona monastica nimis liberaliter consumeret. Moritur eòdem annò.  
Jacet in sacello S. *Alexandri*.

## XXVIII. ERLOLFUS.

XXVIII.

Pius, virtuosus, doctus & eloquens, Abbas *Murbaccensis*, Maguntia ab  
*Henrico* præponitur cum murmuratione Fratrum, quia contra jura Mona-  
sterii erat. Ideo ab Imperatore missus Romam cum *Brunone*, Spirensi  
Episcopo, in magnis Imperii negotiis ad *Calixtum II.* Papam. Svasor  
enim fuerat, quomodo schisma aboleri possit, & rediit cum gloria. Mona-  
sterium magna damna passum in multis; latrones dilacerarunt territo-  
rium Monasterii, basilica versùs Orientem decidit AD. MCXX. & tanta  
paupertas ubique, ut victus & amictus deficeret, & præter *Miserere* nil re-  
staret. *Mylseburg* & *Hafelstein* munivisse dicitur pro defensione Ecclesiæ  
sue. Tandem cum omnia desperata viderentur, & sursum deorsumque  
volverentur, abiit *Wormaciam* anno Prælatu-  
ræ VIII. Moritur ibi AD.  
MCXXII.

## XXIX. UTHALRICUS.

XXIX.

Natione & Professione Fuldensis Romæ consecratur à *Calixto II.* Bo-  
nus Pater, insuper liberalis, modestus, justus & bonæ conversationis, qui  
Ecclesiæ utiliter præfuit, eamque valde instauravit. Sed deponitur anno  
Prælatu-  
ræ quinto, per Papæ *Honorii* Legatum, abiens tamen, cum magno  
suorum dolore, quia contra *Lotharium* Cæsarem II. cum *Conrado*, Duce  
Franconia, fecerat. Postea vixit in *Würceburg*, ubi etiam moritur AD.  
MCXXXIV.

## XXX. HENRICUS I.

XXX.

E familia de *Kemnat*, Professus & Decanus Fuldensis, Præpositus  
nuper Collegii in *Brustloa*, in præsentia *Lotharii* Imperatoris electus.  
Propter inopiam, quam fecerant sumtus varii, & ii sæpe inutiles, & quia  
curiam Imperialem sequi debebat, resignat AD. MCXXXIII. in manus  
*Lotharii* Fuldæ reversi, & qui tunc in monte S. *Andree* erat, anno Præ-  
laturæ VII., Vixit postea ut privatus.

## XXXI. BERTHOLDUS I.

XXXI.

Ex familia de *Görze*, laudabilis Abbas. Ivit cum *Lothario* Rege Ro-  
mam, ubi & ipse cum *Innocentio II.* consecratus est, reportans magna pri-  
vilegia, potestatem sc. gestandi mitram, annulum, baculum &c. Et pro-  
clamatus est à Papa *Primas* omnium Abbatum per Germaniam & Galliam.  
Imperator dedit Regalia. Moritur AD. MCXXXV. Prælatu-  
ræ II.

(Nnn)

XXXII.